182

# Julius Papa II. Joanni Laski Archi=Eppo Gnesnensi, Cancellario Rni Polon.

Cum redyßet ad nos nuper dilectus filius Jacobus Piso, quem in causa susceptæ contra perfidos Turcos expeditionis, nostrum et Sæ Sedis Aplicæ Nuntium specialem eò miseramus, tuam nobis fidem operam atque industriam ita commendavit, ut ingenuè fateatur se illis plurimum profecisse; quod eò gratius nobis fuit, quo nihil accuratius expeditione molimur, quare Fraternitatem tuam hortamur, ut omnia, quæ huc pertinere cognoveris solitâ tuâ diligentia et dexteritate promoveas, et pro virili adjuves. Maximè verò ut Oratores toties promissi Mittantur. Quamvis enim insperatis casibus simus occupati, non tamen ea intermittimus, quæ dictæ expeditioni sentimus esse necessaria. Tu quoquè, qui isthinc latus Principis assiduè stipas, officij tui non obliviscare. Qua in re gratificari nobis plurimum poteris. Datum Viterbij sub Annulo Piscatoris Die 29. Augusti, Anno 1510.